

29. Mundanarum actionum alia sunt Naturales, alia Civiles sive morales.

30. Naturales vulgò media dicta, sunt, quae secundum naturam à quibusvis communiter, eodemque modo fiunt, & neque ad bonum, neque ad malum propriè & per se tendunt.

31. Sunt haec partim homini cum brutis animalibus communes, ut edere, bibere, moveri, dormire, generare &c. partim verò hominis, ex cōditione suae speciei naturaliter se habentis, propriae; ut ridere, loqui, ratiocinari, disputare, &c.

32. Civiles sive morales vocamus, quae cum vita tantum praesente rationem relationemque habent. & quodammodo intra eius fines ac cupidines continentur: Quales sunt, Politicae, Oeconomicae, Mechanicae.

33. Spiritualium sive Ecclesiasticarum actionum quaedam sunt externae, spectantes ipsum Religionis exercitium, inque oculos ac sensus incurrentes: Quales sunt, Auditus & meditatio verbi divini: eiusdemque homilitica explicatio, dispensatio & usus externus Sacramentorum: Cantus Psalmorum: recitatio orationum precum: largitio eleemosynarum: & aliorum id genus Charitatis operum exercitia: Ceremoniae externae: & quae sunt his similes.

34. Dicuntur autem haec actiones Spirituales, respectu finis, ad quem sunt destinatae, quatenus nimirum, internis illis & verè spiritualibus, quo
ad